

temporalibus, » juxta testimonium Salomonis : Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi. Pr. xx, 4. Et S. Pauli : Si quis non vult operari, non manducet. II THESS., III, 10. 2. « In bonis famæ : » quia qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit in æstate, filius confusionis, ut ait Salomon. Pr. x, 5. 3. « In bonis gratiæ : » nam hic vel maxime verificabitur Proverbium illud Salomonis : Egestatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat. Ib., 4. 4. « In bonis gloriæ : » quia qui parce seminavit, parce et metet, et unusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem. II Cor., IX, 6.

Ex occasione thematis : « Multam malitiam docuit otiositas, » I Cor., III, 8. demonstrari potest, quomodo otium vere sit radix omnis malitiæ idque ex triplici capite. 1. Quia denudat et spoliat hominem otiosum auxilio, et presidio divino; neque enim Deus juvare solet hominem, qui cooperari non cupit. 2. Quia a pluribus, imo, ut S. Hieronymus ait, immuneris demonibus infestari facit. 3. Quia homini ipsi etiam quodammodo manus ligat, ut defendere se contra hostes non possit. Quæ omnia facile fusius diduci possunt.

Ex occasione thematis : « Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum repleverant urtica, » et operuerant superficiem ejus spina : » Pr., XXIV, 30. possunt explicari damna otii, spinisque hoc comparari. 1. Quia sterile et infructuosum est, ut spina. Hinc Siracides ait : Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim manus ejus quidquam operari, tota die concupiscit, et desiderat. ECL., XI, 32. 2. Quia impediunt etiam fructum sui semen honorum operum, ut spina. 3. Quia fodicant et pungunt conscientiam, ut spina. 4. Quia sub eo se abundant venenata bestia, id est, peccata, sicut sub spinis. Excitentur proinde Auditores ad has spinas toto animi conatu evellendas.

Ex occasione thematis : « Dicit piger : Leo est in via; et leæna in itineribus. » Pr. xxvi, 13. Potest explicari radix, et causa potissima odii, scilicet « timor difficultatis, » et molestiæ, quæ in operando solet intervenire, et ob horribilem speciem merito leoni potest comparari? Et « concupiscentia inordinata bonorum sensibilibus, » quæ ob vim alliacendi, et nocendi non incongrue leæna assimilari potest. Unde merito jam olim

Philosophi totam Philosophiæ summam in geminis illis verbis : « Abstine, et sustine, » collocarunt. Ostendatur proinde, quomodo gemina hæc causa seu radix evelli, sicut ipsum etiam otium eradicari debeat.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte de otio dixit Seneca : Otium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura. SEN., ep. XXXII.

Alexander Magnus dicere solebat, regium esse laborare, servile otio et luxui vacare. ENGELGR., in *Dom. Sept.* § 2.

Caji Marii apud Salustium imperatoria vox erat : Nemo ignavia immortalis factus est. *Ibid.*

Gerrardas Spartanus a quodam hospite rogatus, qua poena multarentur adulteri, cum nihil super hac re sancitum a Lyeurgo sit? Nullus apud nos adulter hospes est, respondit. LANCZ., op. 1, n. 162.

Theophrates interrogatus, quid esset amor? respondit : Animæ otiosæ affectus. *Ibid.*

Demetrius vitam otiosam, et sine illis fortunæ incursionibus mare mortuum reputabat. SENECA., *epist.* LXVIII.

DAMNUM. — Recte cecinit Ovidius :

Otia si tollas, perire cupidinis arcos,
Contemptaque jacent, et sine luce, faces.
OVID., de *Rem. Amor.*

Fridericus Marchio Brandenburgensis extremis tabulis Fridericum secundo gentium Joanni primogenito prætulit, ac Marchionatum eum Electoratu Imperii hac una de causa transcripsit, quod natu major utpote otii ac quietis amantior non bene administraturus hanc dignitatem videretur. ÆNEAS SILV., in *Comm.*

Otium et Reges simul ac beatas perdidit urbes, ut recte jam olim Catullus cecinit. CATULLUS, *ad Less.*

Appius Claudius sæpe dicere solebat, negotium populo Romano melius, quam otium committi, quod adverteret, nimia quiete imperia in desidiam resolvit; et negotium nomine quidem horrendum civitatis mores in statu suo continuisse, blandæ appellatiōnis quietem vero plurimis vitis perspersisse. SENECA, l. VII, tit. *Sapienter dict.*

Non male damna otii Ovidius descripsit his versibus :

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur aque?
Et mihi, si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit, estque minor factus inertis situ.
OVID., l. *Pont. eleg.* VI.

Breviter etiam Lucanus :

Varium dant otia mentem.

LUCAN., I.

S. Bernardus aliud damnum insinuavit dicens. Agnoscant homines, quod, qui in laboribus non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant, quam placeat Superis civibus labor, cujus spiritualis intentio est. S. BERN., s. *de Nat.* III.

AUCTORES.

Joannes Bufæus, in *Panario*. V. *eodem*.
Jeremias Drexelius, in *Niceta*, c. III.
Jacobus Marchanthius, in *Tuba Sacerdot.*
tr. IV, lect. VI.
Henricus Engelgrave, in *Luce Ev.*, tom. III.
Mathias Faber, conc. II in *Dom. Sept.*
Thomas Stapletonus, text. III, in *Sept.*
Josephus Langius, in *Polyanth.* V. *eodem*.
Didacus Stella, lib. III de *Contemptu mundi*, p. 20.
Philippus d'Outreman, in *Pædagogia Christiano*, p. I, c. VII, § 8.

PASSIO CHRISTI.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Sunt cruciatus, et mors a Christo per generis humani redemptione tolerati; de quibus jam olim Isaïas prædixit vere languores nostros ipse portavit : et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ISAIA., LIII, 4.

DIVISIO. — Dividitur in Passionem « Internam et Externam, » seu « Corporis et Animi, » de quibus Christus ipse olim duobus filiis Zebedæi dixit : Potestis bibere « calicem » quo animi cruciatus indicantur quem ego bibo aut « baptismo » per hunc intelligendo corporis cruciatus, quo ego baptizor, baptizari? MARCH., x, 38.

PARTICULARES CORPORIS CRUCIATUS. — Fuerunt quinque præcipui in recitatione Rosarii dolorosi usurpari soliti. Quorum primus fuit *agonia sanguinea* Christi: quæ ex quatuor causis profluxit. 1. Ex conflictu interno, quo ex una parte horrore tormentorum, et mortis, ex altera zelus honoris Dei et fructus Redemptionis hominum certabant inter se. 2. Ex apprehensione peccatorum omnium ab hominibus commissorum et committendorum, quorum multitudinem, enormitatem, et effectus ponderabat. 3. Ex consideratione exigui fructus ex Passione sua orti, et perditionis tot animarum, de quibus jam olim per Isaïam conqueustus est dicens : In vanum laboravi, sine causa, et vane consumpsi fortitudinem meam. Ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. Is., XLIX, 4. Ex consideratione dolorum, et tormentorum, atque afflictionum, quas Martyres, et Confessores passuri essent. Hinc S. Laurentius Justianus dixit, quod tunc fuerit lapidatus cum Stephano, crucifixus cum Petro, excoriatus cum Bartholomæo, assatus cum Laurentio, etc.

Secundus fuit *flagellatio* : quam ipse indicavit per Psalmistam dicens : « Congregata sunt super me flagella. » Ps. XVII, 48. Et iterum : « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, » vel, ut alii legunt, « araverunt aratores, » Ps. XVII, 3. Fuit autem hæc flagellatio crudelissima, multis ex capitibus. 1. Ex parte instrumentorum, quæ juxta S. Chrysostomum, Eusebium, et alios fuerunt virgæ, funes, et catenæ ferreae, quibus totum corpus adeo laceratum est, ut a planta pedis usque ad verticem non fuerit in eo sanitas, ut dixit Isaïas. ISAIA., I, 6. 2. Ex parte corporis Christi, quod erat tenerime, et sensibilissimæ complexionis, multumque debilitatum agonia et tormentis præcedentis noctis. 3. Ex multitudine ictuum qui ex revelationibus comperti sunt excessisse quinque millia. 4. Ex odio Pontificum aliorumque Judæorum instigantium milites ad acerbam flagellationem.

Tertius fuit « coronatio : » quæ et ipsa

crudelissima fuit, tum ob spinas acutissimas maxima violentia capiti impactas, tum ob illusionem militum turpissimam concomitantem.

Quartus fuit *Crucis bajulatio*: quæ onerosissima et molestissima fuit, tum ob ipsum pondus ligni, tum ob debilitatem exhausti corporis, tum ob peccata nostra idipsum vehementissime aggravantia.

Quintus fuit *ipsa crucifixio*: quæ dolorissima fuit tum ob manuum, pedumque perforationem, tum ob eorumdem violentissimam extensionem, tum ob sanguinis universi, ex quo situs inexplicabilis orta est, effusionem.

PARTICULARES CRUCIATI ANIMÆ. — Etiam hi quinque sunt præcipui, quorum primus est *Derelictio*: qua tum ipse derelinquere debuit Matrem, aliasque charissimas personas; tum ipse derelictus est a Patre, ut illa verba indicant: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me; et a Discipulis partim eum tradentibus, et negantibus, partim turpiter fugientibus.

Secundus est *Contemptus*: quem jam pridem Isaias prædixerat, dum dixit: «Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum; despectum, et novissimum virorum.» ISAIAS, LIII, 2. Quæ Prophetia impleta est, cum et Barabbæ latroni pessimo postpositus, et inter sceleratos duos latrones crucifixus est.

Tertius est *Ignominia*: quæ multiplex illi obtigit, tum per denudationem in flagellatione, et crucifixione, tum per tot falsas accusationes, et contumelias, tum per publicam, latronis instar, factam captivitatem, condemnationem, eductionem, crucifixionem.

Quartus erat *Illusio*: quæ tum ab Herode et illius aula, vestem albam in stultitiæ signum ei injiciente, tum a militibus coronam spineam ei imponentibus, et arundinem in manus, et purpuram in humeros dantibus, faciemque conspuentibus facta est.

Quintus est *Injuria* gravissima: quæ ei per tot falsas accusationes, per injustam flagellationem, condemnationem et mortem ipsam illata est.

FIGURÆ PASSIONIS ILLUSTRIORES. — Prima fuit ostium in latere arcæ Noe factum, GEN., VI, quod sanctissimum lateris Christi vulnus representat, uti S. Augustinus his verbis indicavit: «Ostium, quod in latere accepit arca, profecto illud est vulnus, quando latus

Crucifixi lancea perforatum est; hac quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.» S. AUG., I. XV, de Civ., c. xxvi.

Secunda fuit Isaæns fasciculum ligni portans, et per hoc Christum Crucem bajulantem præfigurans; ut enim Abraham fasciculum ligni a dorso jumentum in humeros Isaaci transtulit, ita Deus Pater onus Crucis in humeros Christi a peccatoribus transportavit.

Tertia fuit Noe; quemadmodum enim hic fuit justus, et invenit gratiam coram Deo, ideoque electus est ad genus humanum ab interitu servandum; postea vero a vino inebriatus, nudatus, et a proprio filio Cham irrisus est, GEN., IX, ita Christus tamquam Filius dilectus, in quo sibi Pater æternus complacuit, ab eodem electus est ad totum genus humanum ab æterno interitu servandum; sed et vino charitatis inebriatus, in cruce nudatus est, et a Judæis, quos filiorum loco habuerat, et in populum acceptabilem elegerat, turpiter irrisus est.

Quarta fuit *Josephus*: quia sicut hic a Juda fratre Ismaelitæ, et Madianitis viginti argenteis ex invidia venditus est, ita Christus a Juda Discipulo triginta argenteis venditus est Judæis et Gentilibus, et ab illis ex invidia ad Pilatum ductus.

Quinta fuit *Caper*: expiatorius pro peccato, fortibus jactis morti adjudicatus, altero emissario dimisso, LEVIT. IV, hic enim significat Christum pro peccato humani generis per Judæorum petitionem fuisse ad mortem damnatum, Barabba scelerato latrone dimisso.

Sexta fuit *Aries* cornibus inter vepres hærens, et loco Isaaci oblatum, GEN., XXII, sic enim et Christus pro humano genere est immolatus, et inter spinas, quibus a Judæis coronatus est, hæsit.

Septima fuit *Serpens aneus* in hastili exaltatus; NUM., XXI, ut enim illius aspectu Israelitæ a morsu serpentium vivorum sunt sanati; ita et qui in Christum crucifixum aspiciunt, suamque in eo fiduciam ponunt, a morsu serpentis infernalis liberantur, ac sanantur.

Octava fuit *Botrus* a duobus viris terram Sanctam explorantibus allatus, NUM., XIII, hic enim significat Christum Crucifixum in medio duorum latronum pendentem, quorum sinister terga illi vertit, solus dexter

vero illum aspexit et ut meminisse in regno suo velit, rogavit.

Nona fuit *David* a Rege Achis pro stulto habitus, et ab aula sua universa illusus, I REG., XXI, sic enim et Christus ab Herode et tota illius aula spreus, et irrisus fuit.

Decima fuit *Samson* duas columnas geminis brachiis apprehendens, et omnes inimicos suos perdens, JUD., XVI; hic enim Christum brachia in cruce extendentem, ac de hostibus sua morte triumphantem, apte representat.

Undecima fuit *Jonas* in mare ejectus, et tribus diebus in ventre ceti delitescens, JOAN., II; sic enim et Christus in mare tribulationum præcipitatus, tribus diebus in mortis faucibus hæsit.

Duodecima fuit *Agnus Paschalis* olim a Judæis tempore Paschatis immolatus, hic enim proprie agnum innocentissimum Christum, peccata mundi tollentem representabat; uti fusus tam de hac, quam præcedentibus figuris Mathias Faber conc. VII, in *Fer. 3. Pasch. I* et in them. I, in *Feria Parasce.* in Auctario ostendit.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur. JOB., XXX.

Corpus meum dedi percipientibus, et genas meas vellentibus. ISAIAS, LIII.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam. PS., CXXVIII, 3.

Eccc Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. JOAN., I, 27.

Sicut ovis ad occisionem ducitur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet. ISAIAS, LIII, 7.

Dabo clavem domus David super humerum ejus. PS., XXII, 22.

Factus est principatus super humerum ejus. IS., IX, 6.

Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. PS., XXI, 18.

Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiens, non est ei species, neque decor, vidimus eum despectum, et novissimum virorum, virum dolorum. IS., LIII, 2.

TOMUS III.

Et post hebdomas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. DAN., IX, 26.

Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum ejus. JER., XII, 7.

Interrogate Gentes: Quis audivit talia horribilia quæ fecit nimis virgo Israel. IS., XVII, 13.

Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus, non memoretur amplius.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. IS., LIII, 7.

Dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me acetum. PS., LXVIII, 22.

UTILITAS. — Si sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortui ad serviendum Deo viventem. HEBR., IX, 13.

Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. II COR., VIII, 9.

Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus. II COR., V, 15.

Recogitate enim, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigimini animis vestris deficientes. HEB., XII, 3.

MEDITATIO. — O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus. THREN., I, 2.

Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini. I PETR., IV, 1.

Terra, ne operias sanguinem meum (per oblivionem) neque invenient in te locum latendi clamor meus. JOB., XVI, 19.

Veni in hortum meum (per meditationem) soror mea sponsa; messui myrrham (dolorum) cum aromatibus meis, id est, virtutibus in passione exercitis. CANT., V, 1. Egredimini filiae Sion, et videte Regem

vestrum in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die dispensationis suæ. CANT., III, 11.

IMITATIO. — Per patientiam curramus ad propositum certamen aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra Dei sedet. HEB., XII, 1.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. I PETR., II, 21.

Et levavit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. IS., XI, 12.

Vivit Dominus, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, sive in vita, sive in morte, ibi erit servus tuus. II REG., XV, 21.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — O Bone Jesu, quid tibi est? mori nos debuimus, et tu solvis? nos peccavimus, et tu luis? opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.

O homo vide, quæ pro te patior : non est dolor, sicut quo crucior : ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficio, vide clavos, quibus confodior : cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te tam ingratus experior.

Si totum debeo pro me facto, quid addam jam pro me reflecto, et reflecto hoc modo? nec enim tam facile reflectus, quam factus, nam qui me semel, et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et gessit mira, et pertulit dura, nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se, et, ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiam si milies me rependere possem, quid sum ego ad Deum. S. BERN., de Dilig. Deo.

Domine, qui tibi non servit, quia creatus est, infernum meruit; sed qui non servit tibi, quia redemptus est, meretur ut novus pro ipso infernus fiat. S. AUG.

Cruz Christi non tantum est lectus morientis, sed etiam cathedra docentis. IDEM, tr. CXIX, in Joan.

Cum posset nobis etiam non moriendo succurrere, voluit tamen hominibus moriendo subvenire; quia nos videlicet minus amasset, nec vim dilectionis suæ nobis ostenderet, nisi hoc, quod a nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. S. GREG., Moral.

Sitio, inquit Dominus : Domine, quid sitis? Ergone te plus cruciat sitis, quam crux? de cruce siles, et de siti clamas, sitio! Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium : plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet. S. BERN., in Flor.

O amoris vim! ita ne summus omnium vilissimus factus est omnium? quis hoc facit? amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor. Quid tamen jam non violentum? amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam vieta ad violentiam? S. BERN., s. LXVI, in Cant.

Ex consideratione remedii, periculi mei aestimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar, et ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei Altissimi, et jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, o homo, quam gravia sint vulnera tua, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, et ad mortem sempernam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. S. BERN., s. II, de Nativ.

Ecce pro impio pietas flagellatur; pro stulto sapientia illuditur; pro mendace veritas necatur; damnatur iustitia pro iniquo; misericordia afficitur pro crudeli; inebriatur felle dulcedo; abjicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo. S. AUG., ap. MANSI, tr. LIX, Dis., XVII, n. 8.

Cum magnum sit, gratis sua aliquem alicui conferre, multo majus certe est, semetipsum impendere; et cum magnæ charitatis sit, animam pro amicis ponere, multo majoris charitatis indicium est, pro inimici ponere, quod filius Dei pro nobis fecit; nam cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii ejus. IDEM, c. XVI, Med.

Audi rogantem Dominum : « Tota die expandi ad te manus meas : » Nonne qui expandit manus, ipso habitu rogat? « Expandi manus meas. » Ad quem? ad popu-

lum. Et ad quem populum? Non tantum non credentem; sed, et contradicentem. « Expandi manus meas : » Distendit membra, dilatata viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, ut patrem se tantæ observationis dimoret affectu. Audi et aliter rogantem Deum : « Populus meus, quid feci tibi : aut in quo contristavi te. » Nonne dicit? Si divinitas ignota est, vel caro sit nota. Vide, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem, et, si quod est Dei, tene. Quare vel quod vestrum est, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem? sed forte vos Passionis meæ quam fecistis, magnitudo confundit. Nolite. Crux hæc non meus, sed mortis est aculeus. Clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Vulnera hæc non educunt genitum meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in præmium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Venite ergo, redite, et vel sic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantam charitatem reddere. S. CHRYS., Ser., CVIII.

Magna et multa sunt, quæ mihi, Domine Deus, contulisti beneficia, pro quibus mihi diligendus, semper es laudandus. Unum autem est, quod me plus omnibus accendit, urget, movet, et promovet, ad te diligendum super omnia, amara mors, quam sustinisti, opus nostræ Redemptionis. Hoc solum, vel hoc omnino totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem demique nostrum facile sibi vindicat. Totum hoc est, quod devotionem nostram et excitat melius, et quaerit suavius, et auget amplius. Multum quidem in hoc opere laboravit Auctor fabricationem sustinuit; de mundo enim, et de his, quæ in mundo sunt, « dixit et facta sunt; » at vero pro reparatione generis humani, magnos, et multos, et diuturnos labores, et dolores sustinuit. S. AUG., c. x. Med.

Magnum quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum, sed multo plus est, quod transisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioso mune-

re ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. IDEM, de Dilig. Deo.

Quanto ferventius diliges eum, tanto magis suæ compatieteris Passionis; et quanto plus et compatieteris, tanto plus erga eum tuus accendetur affectus. S. BON., c. II, Scim. Amor.

Poterat omnipotentis Majestas aliter, quam se exinanendo, perditum reparare hominem; sed ut sciret, quantum deliquerat, quantum diligeretur, quantique se estimare deberet, id agere voluit; sciret quoque, quid Deo deberet, qui pro peccatore, pro perditio, pro ingrato, tantis se dignatus est exponere passionibus. S. LACR. JUST., de Triumph. Christi.

Sufficit ad Redemptionem humani generis, minutissima gutta sanguinis Christi, sed data est copia, ut ex inundatione beneficii virtus innotesceret diligentis; unde grave est, quod tantum diligens, tantum oditur. S. BON., ser. VI, in Paradiso.

UTILITAS. — Inestimabilis plane thesaurus invenitur in Passione Christi, cui si te convenienter adjuveris, mirum in modum locupletaberis. BLOSSIUS, c. XII, Sacell. anim.

Frequens Passionis memoria indoctum reddit doctissimum, imperitos et idiotas facit proficere in magistros, magistros, inquam, non scientiæ, quæ inflat, sed charitatis quæ ædificat. Ipsa est velut quidam liber vite, in quo omnia salutis necessaria iuveniuntur; felix qui ejus studio seriose intendit, quia in contemptu mundi, et in amore Dei proficiet, cunctarumque virtutum ac gratiarum incrementum sumet. LUDOLPHI CARTH., n. 2, c. LXVIII.

Vita Christi liber ad modum præclarus est, doctis et indoctis, perfectis atque imperfectis (qui Deo placere cupiunt) communis. Qui bene terit hunc librum, efficitur eximie sapiens, facilius adipiscitur peccatorum veniam, pravorum affectuum mortificationem, mentis illuminationem, conscientie pacem et tranquillitatem, firmamque erga Deum sinceram dilectionem fiduciam. Etiam codices omnes, qui toto orbe habentur, interdissent, Vita et Passio Christi Christianis omnibus sufficere ad virtutem omnem, et veritatem perdiscendam. BLOSSIUS, in Conclavi, c. x. § 7.

Quotiescumque aliquid pie meditaris, aut legis de Passione Domini Jesu, sanctificaris inde, et ingentem fructum reportas, etiam-

si parvo admodum affectu, et sine ullo sapore sensibili mediteris, ac legas. Fieri nulla ratione potest, ut vel aspicias tantum piis oculis imaginem Crucifixi sine grandi utilitate, cum ibi salutis tuæ summam invenias. IDEM, in *Sacell.*, c. XXI.

Line oculos tuos sanguine illius, suoque livore tuis medere vulneribus. Nulla esse valet ægritudo tam valida, nullus mœror, nullaque tentatio, quæ non hujusmodi medicamento curetur: est quippe in eo redemptionis eror, et purgationis lavacrum. S. LAUR. JUST.

Crux Christi clavis est Paradisi, hæc infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium manufactio, proficientium perfectio, animæ salus et corporis, omnium malorum aversio, bonorum omnium datrix. S. DAMAS., l. IV.

Passio tua, Domine Jesu, ultimum est refugium, singulare remedium: deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Cum enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio, quid faciam. Calicem salutaris accipiam; scio quod merita mea non sufficiant, ego vero fideliter, quando ex me mihi deest, usurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluunt: foderunt manus meas, et pedes meos, et latus lancea foraverunt. Et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleum de saxo, et videre, et gustare, quam suavis est Dominus. S. BER., s. XXXI, *sup. Cant.*

Fusus est sanguis medici, et factus est medicamentum phrenetici. S. AUGUST., l. V, *contra Hæres.*

Passio Christi cœlum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit: in ea confirmantur Angeli, redimuntur populi, convertuntur inimici, stabiliuntur subsistentia, animantur vivencia, consentiunt sententia, illustrantur intelligentia. RABANUS, *de Laude cruc.*

Effusio sanguinis justis pro injustis tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut, si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. S. LEO, in s. VII, *mens.*

Nobis assumpsit, quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri: mea est mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea

expiratio crucifixi, mea dormitio sepulti. S. BER., s. LXXXVI.

Audite ac percipite subtilissimum divina misericordiæ Sacramentum; nam certa atque secunda est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis. S. LEO, s. IX, *de Quadr.*

Nulla salubrior ad mentis construendum habitaculum cogitatio reperitur, quam Passionis Christi: per ipsam quippe humane salutis restauratio, et ineffabilis Dei ad homines agnoscitur summa dilectio. Nemo aliunde divinæ charitatis æternam fontem degustat melius, quam in hujusmodi attentâ, sedulaque meditatione. S. LAUR. JUST.

Certum est, quia, ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis Crucis, ut, si ante oculos ponatur, et in mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem Christi intentis mentis oculis inspicatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia, sed continue ad ejus presentiam totus illo peccati, et carnis fugatur exercitus. ORIGEN., ap. FABR., *con. vi, Dom. Pass.*

Multos Dei filios unicus fecit Dei Filius: sibi acquisivit Fratres suo sanguine: approbavit illos, cum ipse reprobaretur: redemit eos, cum ipse caperetur: manumisit eos, cum ipse venderetur: condecoravit illos, dum ipse dedecoraretur: resuscitavit eos, dum ipse moreretur. S. AUG., ap. *eund. conc. vi, in Par.*

Quis tam irreligiosus, qui non compungatur: quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam deliciosus? ut non abstineat? quis tam flagitiosus, ut non contineat? quis tam malitiosus ut non penitentiam hic diebus? merito quidem, nempe adest Passio Domini, usque hodie terram movens, petras scindens. S. BER., s. IV, *hebd. sacr.*

Ante Crucem scala carebat cœlum, nec Abraham, nec Jacob, nec David ascendere valebant, nec ullus hominum: apposita est scala, erecta est Crux, in cœlum ascensus patet, scalam vides e terra in cœlum usque pertingentem, dum Crucem intueris. Scala cœlos attingens Crucis figuram habet; Dominus innixus scalæ, Christus crucifixus ostenditur. S. AUG., s. LXXXIX, *de Temp.*

Certe et Crux speciosa est, et Crux amari potest, et Crux habet exultationem. Ita est, fratres mei, si fuerit, qui colligat, semper

lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est silvestris arbor, lignum vite est, apprehendentibus eam arbor frugifera, arbor salutifera est alioqui quomodo Dominicam occuparet terram? S. BER., s. de *S. Andrea.*

Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata, quæ commisimus, calamitas, quam incurrimus. Ipse erat innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis conversatio illius; non enim peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et quoniam talis ac tantus tam indigna dignatus in cruce pati, præponderare coepit calamitas, et crimina levigari. Cum adhuc tamen in cruce erectus staret, yacillare videbatur statera, nec plane cognoscebatur, quo cadere deberet; inclinato tamen capite emisit spiritum, ut calamitas præponderando caderet, et quasi arena maris gravior appareret. S. BER., s. II, *Pasch. de duob. dis.*

JUCUNDITAS. — Quis non exulet in immensum, cum cernit Deum ipsum in tantum diligere, ut tante villitati et penalitati subjecerit semetipsum pro eo? quis Princeps in regno vel imperio alicujus Imperatoris, vel Regis, cernens se tantum a Rege vel Imperatore diligi, ut paratus esset mori pro ipso, non gauderet? Quanto magis nos vilissimi, et servi gaudere debemus, et exultare, cum videmus Regem Regum, et Dominum dominantium et Creatorem nostrum Jesum, nos ita continuo diligere, ut immolaverit seipsum pro nobis, in tam turpi, et vilissima morte? S. BON., ap. MANSI, *dis. xx, n. 5.*

MEDITATIO. — Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cœlatices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sunt, cogitate: hæc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figuratur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. S. AUG., in lib. *de Virg.*

In Passione Domini tria specialiter convenit intueri, opus, modum, causam; nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientia singularis, humilitas admirabilis, sed cha-

ritas inestimabilis. S. BER., in f. 4 *Heb. Sacr.*

Si vis, o homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quanta poles devotione, mediteris Dominicam passionem; nihil enim in anima ita operatur universalem sanctificationem, sicut meditatio Passionis Christi. S. BON., de *Pass.*

Simplex recordatio vel meditatio Passionis Christi plus valet, quam si quis per annum jejunaret in pane et aqua, qualibet sexta feria, vel disciplinaret se qualibet hebdomada usque ad effusionem sanguinis, vel quotidie legeret Psalterium. S. ALBERT. MAGN., tr. *de Miss.*

Passiones Christi meditari sapientia est, et sublimis Philosophia. BERN., *sup. Cant.*, s. XLVII.

Recordatio vulnerum Christi medicamentum est efficax. IDEM., s. LI.

Si Passio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil tam durum est, quod non æquo animo toleretur. Parva enim tolerantia, si recordemur quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cœlum; ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam crucemque sustinuit, et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamus, et uno verbo depreciamur. ISIDOR., *de sum. Bon.*

Fratres, ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intuemur; quomodo qui intuebantur serpentem animum in deserto non peribant morsibus serpentum, sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur a morsibus peccatorum. ORIGEN. JOHAN.

COMPASSIO. — Magis meretur vel unam solum lacrymam emittens, ob memoriam Passionis Christi, quam si usque ad terram promissionis peregrinaretur. BER. DE BUSTO, s. XV, *infer.*

Omnis creatura compatitur Christo morienti. Sol obscuratur, terra movetur, petreæ scinduntur, velum templi dividitur, sepulcra aperiuntur; solus homo miser non compatitur, pro quo solo Christus patitur. S. HIER., *sup. Mat.*

IMITATIO. — Per passiones Passionem imitemur: crucem alacres conscendamus; dulces sunt clavi, tametsi valde acerbis: præstat cum Christo, et pro Christo pati, quam cum aliis in deliciis versari. S. GREG. NAZ., *Or. XLII.*

Et ut cætera taceam, hoc solo non imme-

rito sibi vindicet vitam nostram, quia pro ea posuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est; cui enim iustus vivam, quam ei, qui, si non moreretur, ego non viverem? S. BER., de *Dilig. Deo*.

Congruit nostræ devotioni, ut, qui Domini crucifixi Passionem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsis etiam faciamus. S. AUG., in *s. Quad.*

Nolo, Domine, vivere sine vulnere, quia te video vulneratum. S. BOV.

Non pauci sunt, qui cœlestes delicias consequi volunt, cum tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes a dextera tua usque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita et imitari. Conregnare cupiunt, sed non pati. Non curant quærere, quem tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non et sequi. Non sic illi quibus aiebat: Vos estis, qui permansistis mecum in tribulationibus. S. BER., s. de *Dilig. Deo*.

O Regem! o diadema! pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam in glorium exhibetur. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. S. BER., s. v, in *festo omnium SS.*

Dicit Christus homini ægro: Bibe calicem tentationum et tribulationum, ut saneris, et vivas. Et ne responderet ei languidus; non possum, non fero, non bibo, prior bibit Medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? S. AUG., s. xviii, in *Math.*

Super omnia te mihi amabilem reddidit, o bone Jesu, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis; hoc enim omnino amorem nostrum sibi vindicat, hoc, inquam, devotionem nostram blandius allicit, iustus exigit, ærtius stringit, et vehementius afficit. S. BER.

Cujus saxum pectus non emolliant vulnera Salvatoris? quis pati rennet patiente Domino? Crucifixus siquidem reliquit exemplum, ut sequamur ipsius vestigia. Proinde nullus a doloribus Christi debet fieri alienus, nemo extraneus sit a communione sponsi, si gaudii illius cupit esse gustator. Præcessit Gigas ingens, et passionibus subit certamen, at ceteri ei militantes similia sustinere non paveant. Verecundum quippe est, ut irrumpente Duce cuneos tribulationum, reliqui imitari dedignentur. Non est

abjectum in servo, quod præcessit in Domino. Dolorem servi dolor lenit Domini. Passio passione vincitur, et cruciatibus cruciatum superatur. S. LAUR. JUST., de *Cast.*

Passio Christi et resurrectio vite nostræ figuræ sunt. AUG., de *Spir.*

ÆQUITAS. — Extendit homo inobediens præsumptuosas manus suas ad arborem vitæ: extendi ego manus meas innocentes ad arborem crucis. Per lignum commissum est peccatum: per aliud lignum ablatum est peccatum. Peccavit homo gustans suavitalam arboris prohibita; satisfactum est pro illo peccato felle et aceto, quod propter illud ebibi. Homo condemnatus est propter superbiam, affectans Deo similitudinem; humiliata est mea divinitas propter culpam illius superbia, et oblata est Majestas pro delicto in ipsam Majestatem commisso. Præter hæc omnia homo debitor erat mortis, et oportuit illud debitum exsolvi: ideo mortalem naturam assumpsit, et mortem meam pro morte illa obtuli. EUS. EMIS., in hom. de *Pascha*.

Par erat, ut Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque ejus extenderentur, ut hac quidem veterem populum, illa vero Gentiles attraheret, et ambos in se conjungeret. Id enim ipse dixit, indicans, qua morte omnes redempturi esse: Cum exaltatus fuero, inquit, omnes ad me traham. S. ATHAN., l. d. *Incarn.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

UTILITAS. — Religiosus, qui se intente et devote in Passione Domini exercet, omnia utilia, et necessaria sibi abundanter ibi inveniet: nec opus est, ut extra Jesum aliquid melius quærat. L. I, c. xxv, § 6.

O si Jesus crucifixus in cor nostrum veniret, quam cito et sufficienter docti essemus. IBIDEM.

Si nescis speculati alta, et cœlestia, requiesce in Passione Christi, et in sacris ejus vulneribus libenter habita. Si enim ad vulnera et pretiosa stigmata Jesu devote confugis, magnam in tribulatione confortationem senties; nec multum curabis hominum despectiones, faciliterque verba detrahentia perferes. L. II, c. 1, § 4.

Quid est, quod loqueris, Fili? Cessa conquiri, considerata mea et aliorum Sancto-

rum Passione. Nondum usque ad sanguinem restitisti. L. III, c. xix, § 11.

IMITATIO. — Tota vita Christi crux fuit, et martyrium, et tu quæris requiem et gaudium. L. II, c. xii, § 7.

Nemo ita cordialiter sentit Passionem Christi, sicut is, qui contigerit similia pati? L. II, c. xii, § 4.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

MEDITATIO PASSIONIS. — B. Virgo de seipsa olim dixit: In sepulcro Filii mei semper cogitatio et cor meum versabatur. In REVEL. S. BERG., l. II, c. xxi.

S. Catharina, filia S. Brigittæ ante dormitionem per quatuor horas continuas, in genuflexionibus, et pectoris fustionibus, cum lacrymis multis, ob recordationem amarissimæ passionis Christi, omni vespere in holocaustum Domini offerebat. IBID., l. II, c. 10.

De S. Laurentio M. B. Virgo S. Brigittæ dixit: Imprime tibi monile Passionis Filii mei, sicut S. Laurentius impressit; ipse enim cogitabat quotidie in mente sua sic: Dominus ipse est Deus meus, ego vero servus. Ipse Dominus Jesus Christus fuit nudatus et derisus, quomodo ergo decet, ut ego servus vestiar delicatioribus vestibus? ipse fuit flagellatus et affixus ligno, non decet ergo, ut ego, qui servus sum, sim absque dolore et tribulatione. IB., c. xxvi.

S. Paulus tam assiduus erat in meditanda et prædicanda Christi Passione, ut dicere auderet, se nihil scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. I COR., ii, 2.

Cum S. Maria Magdalena postquam se in eremum contulerat, supplex a Deo petisset, ut, qua in re potissimum se occuparet, ostenderet dignaretur, S. Michael Archangelus ei crucem pulcherrimam in aditu speluncæ sic constituit, ut oculos Magdalene semper incurreret, neque illam unquam mysteriorum patrorum oblivisci patere. SYLVEST., in *Ros. aut.* 1.

S. Franciscus Seraphicus cum aliquando prope Portiunculam singultibus, suspiriisque indulgeret, causam hujus rogatus respondit: Quidni tam diris cruciatibus Domino meo Jesu immerentissimo culpa nostra illatis, quos videam in tanta omnium nostrum oblivione jacere, illacrymem? CHRON. S. FRANC., p. VI, l. I, c. LXXXVI.

Quidam Eremita certior fieri cupiens, quibus maxime obsequiis divinum Numen demereri posset, semel Christum nudum, plagis lividum, et cruce onustum conspiciendum habuit, qui ei dixit, rem sibi gratissimam fore, si ejus cultores in cruce ferenda eum adjuvarent: hoc autem facturos, si recordatione suorum cruciatum eum prosequenti, partem eorum in suis cordis sensum derivarint. LUDOLPH., DE SEX., in *Vit. Christ.*

Captivus quidam semper tristis, cum tyranno tristitiæ causam quærenti responderet, se Passionis Christi stigmata in pectore ferre, quæ lætum esse non sinerent, tyrannus hoc experiri volens cor evelli jussit, et in altera quidem post diversionem, crucifixi Christi imaginem, in altera quasi sigillum ejus reperit. Unde credens et ipse in Christum, cum omnibus suis baptizatus est. TH. CANTUPEL., l. II de *Aspidus*.

Quidam peregrinus cum sacra loca Jerusalem visitaret, ubi ad montem Oliveti venit, tanto desiderio patiendi cum Christo, et propter ipsum moriendi, incensus est, ut rupto corde expiraret. SREX., ex *Dist.* v, ex. xxviii.

S. Edmundus cum adhuc puerulus Christum Puerum vidisset, legisset in ejus fronte titulum crucis ejus: Jesus Nazarenus Rex Judæorum: ab eo tempore, nocte et die Passionem Christi animo versare, in ea que meditanda medullitus delectari cepit. SURIUS, in *Vit.*, c. xxxix, 15 nov.

S. Theresia de seipsa sic scripsit: Conabar mihi sæpius representare Jesum, et optime habebam in meditatione mysteriorum, ubi solus erat; videbaturque mihi, quod sic afflictus non posset me rejicere accedentem, ut solatio ei forem. Specialiter, ejus consortium quærebam in oratione in horto, ibi frequenter considerabam ejus afflictionem, et sudorem, cupiebanque, si possibile foret, ejus faciem et sudorem molestum abstergere, sed meminim, me nunquam id ausam, utpote peccatorum multitudine deterritam; interim stabam diu cum eo multis afflictiva cogitationibus. Jam a pluribus annis maxima parte noctium postquam decubissem, solebam de hoc mysterio cogitare, etiam ante quam statum Religiosum assumerem, et existimo, plurimum inde profectus spiritualis me consecutam. RUBER., in *Vita*.

B. Calixta de Monte Falco in Jesu cruci? xo

sive vigilans, sive dormiens hærebat. Cum semel in hoc exercitio graviter confixa fuisset, apparuit ei juvenis humeris crucem ferens, et dicens: Filia mea Clara, quæsvi locum solidum, in quo hanc crucem plantarem, et inveni cor tuum, ibi eam figure volo: oportet ergo, ut moriaris in hac cruce, si filia mea et hæres vis esse. Exinde adeo impressum cordi habuit Passionis mysterium, ut quidquid comederet, vel biberet, ei amarum foret in memoria Passionis, et quidquid videret, intelligeret, et diceret, felle crucis Christi respersum crederetur. Unde post mortem omnia instrumenta Passionis cum ipso crucifixo, cordi impressa cernebantur. SURUS, in *Vita*.

B. Didacus Ordinis Minimorum laicum Passionem Domini brachiis expansis meditabatur, semperque in manibus ligneam crucem habebat, omni hora in se et aliis excitans memoriam Passionis Christi. Quam et morti vicinus amplexus, et deosculatus dixit: Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, etc., et inter hæc verba animam exhalavit. MARCH., tr. III, *lect.* 30.

S. Edmundus in agone crucifixi imaginem amplectens, lacrymis eam rigabat, et velut sugens ex latere, magno spiritu dicebat: Amodo haurietis aquas cum gaudio de fonte Salvatoris; et post hæc verba mortuus est. RIBAD., in *Vita*.

S. Bernardus de seipso dicebat ad Fratres: Ego ab ineunte mea conversatione pro aervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, fasciculum hunc colligare curavi collectum ex omnibus anxietatibus, et amaritudinibus Domini mei. Primum scilicet infantilium illarum necessitatum: deinde laborum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo: vigiliarum in orando: tentationum in jejuniando: lacrymarum in compatiendo: insidiarum in colloquendo: postremo periculorum in falsis fratribus: convivorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium. S. BERN., sup. *Cant.*

Tres senes ad Stephanum Abbatem accedentes, loquebantur de salute animæ, illo autem tacente, dixerunt, cur nihil respondes, cum utilitatis gratia ad te venerimus? Respondens Stephanus, dixit: Ignoscite mihi, usque modo non animadverti, quid locuti sitis, verumtamen quod habeo, hoc dico vobis; Ego die nocteque nihil aliud

aspicio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, in ligno pendentem. Quod cum audissent, multum ædificati recesserunt.

Hedwigis Ducissa Poloniae, mulier pietissima adeo meditatione, et devotione Passionis Christi delectabatur, ut etiam res minimas, quæ mysterium crucifixionis Christi representarent, veneratione afficiebat. Nam ubicumque humi conspexit jacentes stipulas crucis imaginem referentes, genibus flexis adorabat, tollensque eas et exosculans, tali eas loco reposuit, ubi non possent pedibus conculcari. APUD. SUP., in *Vita ejus*, tom. V, octob. 15, cap. v.

Religiosus quidam verba Christi in cruce pendentis: Ecce mater tua, mente volvens, totus in lacrymas dissolvebatur, ita ut annos fere viginti lacrymis perpetuis consumeret, quæ sæpe in potum ei serviebant; unde quoties memoriam Passio Christi subibat, et pervenerat ad hæc verba obrutus lamentis, has matri dabat voces: Ecce Mater qualiter pendet Filius tuus; tum Filio: Ecce Mater tua lacrymosa et dolorosa, vide Fili, quomodo stat tota derelicta Mater tua. LUDOLPH. A SAXONIA, II p. de *Vita Christi*, cap. XXIII.

Frequentissime Jesus Dominus noster revelavit charissimis suis sponsis Gertrudi, Birgitta, Mechitildi, Catharina, quam sit et sibi acceptum, et homini fructuosum, recolere Passionem Christi, devotæque et sincerae attentione et devotione; quod et ipse devotissime fecerunt. Nam et eandem Domini Passionem, (quæ licet amarissima ac acerbissima fuerit, tota tamen charitatis dulcedine plena est), adeo profunde visceribus animarum suarum infixarant, et tam ardenti suavique affectu ruminare solebant, ut illa esset eis mel in ore, mel in aure, jubilus in corde. BROS., cap. II, *Mon. spir.*

CULTUS. — De S. Francisca Romana in ejus vita legitur, quod dolores Christi patientis adeo vivaciter animo suo impresserit, ut, quotiescumque crucifixionem pedum vel manuum Christi meditaretur, ipsa quoque in pedibus vel manibus suis acutissimos experiret dolores; similiter coronam meditando spineam, circa tempora sua puncturas sentiebat intolerabiles, hæcque intima illius compassio ad tantam usque vivacitatem pertigit, ut sanguinem sæpius spueret, manus quoque et pedes vivo tingerebant sanguine; sicut et ob eandem causam et pectore suo diuturno tempore humor san-

guineus scaturivit, ut proinde de ipsa dici queat, quod de seraphico Francisco S. Bonaventura his verbis scribit: Memoria Passionis Christi visceribus cordis ipsius impressa fuit medullitus. MANSI., *dis.* II, n. 4.

De B. Henrico Susone Bollandus sic scribit: Præ aliis quibuslibet exercitiis cupide admodum trahebatur, ut aliquod suo in corpore gestaret signum sensibile condolentiæ erga acerbissimam crucifixi Domini Passionem. Effecit ergo sibi crucem ligneam longitudine palmi virilis, et congrua latitudine, eique infixit clavos triginta in honorem vel memoriam omnium vulnerum Christi, quibus in nos suum est testatus amorem. Hanc crucem dorso inter scapulas extendit in ipsa carne, et annis octo, dies atque noctes jugiter eam tulit, in laudem crucifixi Domini sui. Deinde extremo anno etiam acus septem eidem impressit, quarum acies per mediam adiegit crucem, cui firmiter cohærebant, reliquam partem acium superius resecebat. Harum cruentationem acium pertulit ob honorem acutissimi doloris, quod Virginis Matris cor et anima in Filii morte confixa fuere. Quando hanc crucem primo suo corporis adstrinxit, tenera ejus natura exhorruit; quamobrem ad saxum aciem clavorum paucillum retulit, sed illico hac nequitiam virili mollitie victum se dolens, denique eos omnes lima exacuit, et ad corpus applicavit. BOLLANDUS, 25 janv., f. 662.

Idem quoque Bollandus, tenerrimos matris beati Henrici erga Passionem Domini affectus refert, dicens: Consuetudinem sibi fecerat omnes suas perpeffiones in Christi Passionem demergendi, atque ita eas superabat: narravit filio suo ante obitum suum triginta annis nunquam se Missæ Sacrificio interfuisse, quin ex intima compassione erga Christi cruciatum, et Matrem ejus condolentissimam, acerbe fletet. Aliquando subinvenit Quadragesimam ad templum quoddam abiit, ubi Christi de Cruce depositio exsculptis figuris in altari quodam expressa erat; coram his imaginibus sensibili quodammodo nonnihil percepit acerbissimi doloris illius, quem pertulit Virgo Mater sub Cruce: atque ex hac angustia pia hæc mulier præ condolentia tantos sensit dolores, ut cor illius propemodum creparet, adeoque ut præ defectu in terram collabens nec videret quicquam, nec diceret. Sic igitur in domum relata, usque in sanctam Parasceven, qua

die cum Passio in Templo caneretur, circa horam nonam expiravit. In eadem igitur hora ex hac vita transit, in qua Redemptor noster æterno Patri spiritum consignavit, filioque suo apprensus, se in celum abire, juvando vultu affirmavit. Ib., f. 687.

Alexander Cardinalis Ursinus sigillum Christi e Cruce pendentis in sinu ita gestavit, ut obversis in pectus clavis, cum liberet apprimere (libebat autem sæpiissime) quinis illud compungeret vulnusculis, et amori, ne incomitatus aut erubesceret, aut dilaberetur dolore comitem adjungeret, cujus in sinu pulcherrime, ac molliter illum didicerat conquiescere. JOAN. RHO., I. III, c. II, n. 6.

Pater Mendoza in concione quadam de Nativitate Christi, in Lusitania præcellentem quandam raræque virtutis Principissam fuisse refert, quæ, cum in Monasterio Jesus appellato viveret, hanc habebat consuetudinem, quod vespere, priusquam ad quietem concederet, Crucifixi imaginem manibus apprehensam fixis oculis intueretur adeo ut eos minime clauderet, donec a vico cruce crucem dimisisset. Nimirum Crucifixum totius diei terminum, et finem esse cupiebat; mane pariter subito apertos oculos in eadem dirigebat Crucifixi imaginem, ut per ejus in mente sua impressionem, diei daret principium et finem. MANSI., *dis.* IV, n. 11.

Apud Surium de S. Francisco de Paula leguntur sequentia: Feria sexta cum tempus migrationis adesse cognosceret, circa horam, qua Christus Dominus passus est, ligno sanctæ Crucis devote consignatus, Passione Dominica coram eo perfecta, junctis manibus erectisque oculis in coelum Crucis trophæum amplectens, et osculans, ac sæpius, « in manus tuas commendo spiritum meum, » iterans, absque doloris et mortis signo, feliciter migravit ad Dominum. SURUS, in *Vita*, 2 ap.

In chronicis Eremitarum Ordinis S. Augustini scribitur de Hermanno de Allis, quod, dum mortis suæ horam imminere sentiret, a convocatis ad assistendum morti sibi prælegi petierit, et primo quidem, prout illa a S. Matthæo, ac demum prout a S. Marco conscripta fuit, semperque lectorem monuerit, quando vel faciendam pausa, sacer textus repetendus esset; cumque lector ad hæc pervenisset verba: « Jesus emissa magna voce expiravit, » ipse quoque ani-

mam suam Creatori reddidit. CHR. AUG., l. II, c. XIII.

B. Joannes de S. Maria oblati (ut vocant) Ordinis S. Francisci de Paula, peculiariter afflictebat erga *Ece Homo*. Is per totum suum Oratorium nihil habuit, nisi hanc unam imaginem Christi, a Pilato populo ostensi: singulis annis Dominica Passionis peculiariter hoc festum coluit publiceque exponens suam imaginem portæ Ecclesiæ affixit, ut populus coram eo oraret: fuitque causa, ut sensim illud festum fuerit solemniter cultum, cum infinita multitudo accurreret ex pluribus locis ad honorandum hoc eo die mysterium; ipse vero semper hanc suam pietatem continuavit, ut nihil ei frequentius in ore esset, quam hæc duo verba: *Ece Homo*. BARR, p. I, c. VIII, *devot.* xx, ex. l. IV, *Hist. Minim.*

Eleonora a Spiritu S. Ordinis Minorum, cum audisset, imbrem illum sanguinis, quo Christus Dominus totam hanc nostram adimplevit mortalitatem, guttarum omnino similibus quadraginta, et octies centum fuisse, id illa persuasum certo habebat; itaque non ante destitit, quam totidem egreas de animo suo, deque corpuseculo, et has non incruentas victorias rependit. RUO., l. III, c. II, n. 8.

Henricus Rex Lusitaniae, cum ignis Almerinas Lusitanorum Regum ædes vasto depasceretur incendio, et fuga Henricus, qui tum illas incolebat, cum domesticis omnibus sibi consuleret, subiit animum, domestico in saeculo Crucifixi signum vetustissimæ venerationis asservari, quod nisi periculo subtraheretur, flamma corrumpere, ac devoraret. Ergo quamquam domesticorum fidissimum non deessent, ratus, Regium sanguinem pietatem illam decere, per medias furentesque flammam irumpens, sacrum secum extulit signum, illasum; ut intelligamus, Religionis causa præclare audentibus, nihil esse formidandum. *IBID.*, n. 24.

UTILITAS. — In vita Beatæ Angelæ Fulginiensis sequentia leguntur, prædictæ Virgini ore tradita: Dum sic starem absorpta ab illo dolore, et quasi in dolore Crucifixi transformata, audivi, Crucifixum super devotis ad suam Passionem, et imitantibus ipsam, et super sibi compatientibus dulcissimas benedictiones ingeminantem, et dicentem: Benedicti vos a Patre meo, qui mihi compassi, et mecum similiter contribulati, et viam meam secuti, stolas vestras in meo

sanguine lavare meruistis. BOLLAND., 4, JAN. s. CCL.

Sanctus Philippus Nerius in sacrum litterarum studio dum apud Patres Augustinianos Theologiæ operam daret, magnos et insignes faciebat progressus; nec mirum, quia cum ibidem imago quædam Crucifixi valde devota prostaret, quotiescumque eandem aspicebat, et suspiriis se continere non poterat; ac proinde in capite sequenti ejusdem vite omnia ex hoc libro didicisse, sibi que comparasse dicitur, relictis omnibus aliis libris, quos vendidit, ut illorum pretio pauperibus subveniret, orationique, et quibus aliis exercitiis spiritualibus majori cum fervore applicare se posset. *VIT.*, l. I, c. IV, n. 4.

De S. Lidvina Surius sic scribit: «Ejus vulnera, et dolores acutissimi (de Crucifixi doloribus loquitur) animam Virginis adeo penetrant, ut, quamvis ipsa in singulis membris suis omnis generis cruciatibus vehementissimos pateretur, ita ut omnes, qui eam cernerent, non possent non multa commiseratione affici, eos tamen cruciatibus quasi pro nihilo putaret.» Tota vita ejus in Christi rebus gestis, tanquam in viridario amenissimo versabatur, iis meditandis trahebat ardentissima ab imo pectore suspiria, et ab oculis lacrymarum fundebat imbres, iisque deficientibus guttas sanguineas; illas autem lacrymas Crucifixi amore fusas, apud familiariores appellabat rosas suas. *SURIUS*, 14, april.

Idem de S. Elisabetha in hæc verba scribit: Cum Elisabeth pretiosis ornata vestibus auream capite gestans coronam, ac familia frequenti stipata, rebus divinis interfutura templum intrasset, primo intuitu Crux Dominica occurrens, et ex ea pendens imago Salvatoris eam compunxit, compunctæ lacrymas exussit, lacrymantia talia suggestit: En Creator, et Redemptor meus, nudo corpore, brevi dumtaxat præcinctus tegmine, mea causa ignominiosam in cruce mortem oppetiit; at ego misera gemmis, auro, bysso et purpura contacta, vitam celestibus indignam beneficiis perdo magis quam ago. Illius caput intra Pilati ædes spinea corona dispunxit, meum vero aurea venustat, illum ab amicis, et discipulis desertum Judæorum vallarunt opprobria, me numerosa circumdatam familia cuncti mirantur, suspiciunt, et honorant. Cumque hæc meditaretur, effervescens in spiritu, in terram velut mor-

tua corruit, adeo ut domestici ejus, mysterium ignorantes, eam aliquo accidente lethifero correptam fuisse existimarint. Hocque sanctitatis illius fuit exordium: nam immediate post mundi vanitatibus et delictis regalibus spretis, hirsuto se induit cilicio, ac semetipsam contemnens, corpus suum austerissimis penitentis maceravit. *IBID.*, in *Vit.*

De S. Margarita pariter Ungariæ Regis filia, idem Surius refert, quod cum quadriennis esset, Crucifixum quemdam conspiciens, sororem suam interrogavit, quidnam imago illa significaret? ipsaque respondente, quod Filium Dei representaret, qui pro salute, et redemptione nostra in Crucem suffixus fuit, confestim ipsa expansis tenellis brachiis suis accurrat, ut illum pectori suo firmiter adstringeret, et coram Crucifixo prostrata, eundem adorans, et osculans exclamavit, dicendo: Domine mi, me tibi committo. Et ab inde fervor, quo mundi delictis valedicens, vitam aggressa est penitentem, perfectam suam traxit originem. *IBID.*, 18, jan.

Cum Alexander Alensis Religionem sancti Francisci ingressus, austeram illam vitam continuare non posset, priusquam probationis annum finiret, Religionem deserere statuit. Quia vero Patres Ordinis propositum ipsius intelligentes magnopere de illo dolerent, non solum propter salutem spiritualem Novitii, verum etiam ob jacturam viri adeo scientifici, incessantes ad Deum orationes effundebant, ut huic viro, cepto Religionis instituto concederet constantem perseverantiam. Neque irritæ fuerunt hæc preces; siquidem nocte quadam in somno scala quædam ei representata fuit, quæ pedibus terram, vertice autem celos tangebatur; hunc autem senex quidam sanguine madens, ponderosaque cruce onustus, ac S. Franciscus fuisset, ascendere parabat; unde et ipse repetitis quidem vicibus ascensum illum meditabatur; at vero Sanctus Franciscus ad illum cum indignatione quadam se convertens, repulit ipsum, dicendo: non posses hanc magnam crucem portare mecum, qui non potes hanc levem cappam pro nomine meo portare, Et his diebus confestim visio disparuit. Alensis autem desuper se reflectens, erubuit, quod per gravem illam crucem delerit, ad sæculum redire statuisset, ac proinde deinceps in Ordine perseverare firmiter statuit, quemadmodum ad

extremum usque vite suæ spiritum fecit. S. ANTON., p. III, *Hist.* c. VIII, § 1, tit. XXIV.

In vita S. Philippi Neri de sanctimoniali quadam legitur, quod, cum se damnatam esse reputans, magnis angeretur desperationis tentationibus, multique suam in hoc collocasset operam, ut eam in statum salutis demum perducerent, licet casso et irrito eventu tandem Sanctus Philippus eandem quoque conveniens, ut conceptam desperationem penitus deponeret, hoc eam convincit argumento, dicendo: Dic obsecro proquo Filio Dei in cruce mortem oppetit? Cui ipsa respondit: Pro peccatoribus. Et tu quænam es? subjunxit Philippus. Cui Religiosa respondit: Gravis sum peccatrix. Ergo, subintulit Sanctus Philippus: Paradisus tuus est. Hæcque verba, Paradisus tuus est, tuus est, adeo tenaciter cordi ejus remanserunt impressa, ut non solum omnis deinceps cessaret tentatio, verum insuper ad ultimum usque spiritum, vivacissimam æternæ salutis suæ conceperit fiduciam. *MANST.* *dis.* VII, n. 4.

In speculo Exemplorum de juvene quodam, et divite rustico legitur, quod exercitium se quotidie Crucifixo recommendandi adeo sibi familiare reddiderit, ut quotiescumque ad lectum concederet, vel inde resurgeret, signo Crucis in fronte, et pectore se communiendo, hæc verba proferre solitum fuerit: «Jesu Nazarene, miserere mei, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,» simulque Christum Crucifixum rogarit, ne sine Confessione moreretur. Accidit autem, quod morte repentina diem suum clausit extremum: cumque dæmones advolantes animam ipsius secum ad infernum raptare niterentur, splendidus quidam juvenis eodem abigens, prædictam animam in locum quemdam tenebrosam eduxit, deductam ibidem dereliquit; cumque anima more suo consueto Cruce se signaret, et prædicta verba sæpius repeteret, quidam lucis radii hinc inde scintillantes obscuritatem loci illius nonnihil illustrarunt; unde redeuntes dæmones, ut animam ejus sibi prædam facerent, a luce illa perterriti ad eandem appropinquare haud præsumperunt; comparuit autem de novo juvenis ille, qui Angelus cælestis missus fuisse creditur, eique dixit, quod, tametsi ad inferni penas condemnari mereretur, Judex tamen propter merita devotionis erga Passionem suam, et crucis

sus titulum exhibet, hanc ei largiretur gratiam, ut in vitam denuo redire, suaque peccata per Confessionem Sacramentalem expiare posset; quæ peracta, demum in pace quievit. *INEM.*, n. 8.

Cum Monialis quædam a spiritu fornicationis diuturno tempore erga juvenem quemdam Clericum vehementer tentata, ardentem, quo eum deperibat, amori resistere non potuisset, tandem illicitis lascivi illius Clerici desideriis consentire parata, eundem ut certa quadam noctis hora in destinato loco addeset, requisivit: cum enim utpote Sacristana claves Ecclesiæ penes se haberet, eousque donec alie sanctimoniales obdormissent, præstolata, demum ad fores Ecclesiæ aperendas se recepit, ut bestiali appetitui suo satisfaceret; cumque ad primam portam accessisset, Christum brachiis in cruce expansis hærentem invenit, qui eam ne ulterius progredi posset, impediens; verumtamen quia nihil aliud meditabatur, quam ut carnalem satiare posset concupiscentiam, ad aliam se portam recepit, ubi pariter Redemptorem in specie Crucifixi sibi occurrentem, et exitum quaqua versum prohibentem invenit; vehemens autem amor, quo agitabatur adeo eam excæcaverat, ut oculos mentis aperire nequiret, ab iterata vice sibi recurrens tam manifestum divinæ pietatis miraculum: tandem verum cum omnes tentando Monasterii portas in eunctis obviis habuisset grande hoc Crucifixi apparentis spectaculum, ad pedes statuæ cuiusdam Beate Virginis prostrata, quod nusquam exitum invenire posset, coram eadem lamentata fuit. A qua imagine alapam adeo fortiter sibi impactam recepit, ut velut mortua in terram corruerit, ibidemque ad horam usque Matutini celebrandi permanserit, vocibus autem reliquarum sororum cantium expergefata, ac de errore suo respiciens, suum amaris cum lacrymis confessa est peccatum, atque immensum agnovit Christi beneficium, qui per aspectum crucifixionis suæ eidem objectum, ab hac carnalitate abyssu, in quam se precipitare decreverat, misericorditer retraxit, et eripuit. *PRÆTUM SPIR.*, *EX.* IX, l. 1.

Neapoli non ante multos annos contigisse memorant Annales nostri, quod puella nobilis, et prædices ab adolescente paris nobilitatis in conjugem petebatur, et jam in id consenserant utrinque parentes, et pro connubialibus pactis communiter stabilien-

dis in aliquod conclave convenerant; cum puella in suo cubiculo ante pendentem e Cruce Christum prostrata, altioribus cogitationibus agitari cepit, et diviniorem flammis accendi: Quid, aiebat, quid ago, Jesu Flii Dei, et hominum amator? sicine, dum tu carnem tuam innocentissimam tam atrociter tractas, ego voluptates, licet in conjugio licitas confectabor? sicine, dum tu vulneribus, et sanguine deformaris, ego formæ excolendæ, et ego gemmis, et monilibus ornando corpori operam dabo? non fiet; et continuo sibi comam rescindit, eaque ad pedes Crucifixi appensa, illam ipsam effugiem manu gerens, e cubiculo egreditur, et ad conclave, in quod omnes convenerant, se confert, ibi ad matrem conversa: Non est, inquit, domina, quod de conjugio meo ulterius agatis: ecce sponsus iste meus est, quem elegi, et ejus pedibus crines meos, ut arthas appendi. Mira hic inter omnes turbatio! admiratur aliqui, fremunt, et indignantur alii; sed tamen penes Christum novamque ejus sponsam stetit victoria. *PANNEAU, Isag.*, p. II, c. XVI.

Vivebat Romæ anno ducentesimo vigesimo primo supra millesimum, puella, quam ob speciei præstantiam, vulgo pulchram Catharinam appellabant. Hæc tametsi Romanæ juventutis esset non leve officendulum, eo tamen S. Dominici, pro concione, exhortationibus, boni moris adducta est, ut Rosario de manu S. Viri accepto uteretur, sæpe illud in templo, ad Dei Matris imaginem, precando evolvens. Huic ergo tali mulieri, nescio quo eunti, in platea se offert obviam Christus juvenili habitu, forma elegantissima, beneque illi precatu quoniam pergeret, ubinam habitaret, sciscitatus est? Non defuerunt Catharinæ urbanitatis officia, resalutatam, hæc domum suam invitatum adolescentem excepit perhumaniter, et ad mensam haud vulgariter instruat adhibuit. Hic, cum quidquid ille educationum tangeret, ista infici errore videret, mirata quærit, an fors læsus, vel an esset ea oculorum fasciatio? neutrum, respondit ille; sed heus! nescis, hominis Christiani cibum potumque, Christi sanguine tinctum esse debere! Proh! inquit ista, quam tu mihi serius es! quam superstitiosus! Equidem subjicit adolescens, et experire tu quidem brevi: age modo ad cubile pergamus: nihil moratur, provolat, lectum subit, amicum invitat blande. Sed, o Dei

bonitatem! ecce tibi juvenis ille in alterum mutatus, coccinea se veste talari indutus, ac gravi onustum Cruce exhibet meretriculæ, adque perforatum latus, manus, pedes, totumque adeo vulneribus concisum corpus; tum ex singulis plagis emicantem lucem stellis rutiliorem ostentans, sic amice querens, affatur: Eia! nostin, me jam Catharina? agnoscis eundem illum, qui pro te olim passus sum? quousque in sordidus volutari juvat, ac me iterum cruci affigere, et sanguinem meum reddere inutilem? ergo peccandi finem nullum facies? Ad hæc Catharina immenso pudore suffusa, in lacrymas abit, ad Christi pedes toto corpore prosternitur, veniam postulat, meliora in futurum pollicetur; quod deinceps ita præstitit, ut cum afflictandi sui modum non servaret, fuerit ab ipsa Dei Matre, quam in singularem sibi Patronam adsciverat, corripienda, et præscribenda penitendi moderatio. *PÆDAG. CHRIST.*, t. II, p. I.

Dum S. Joannes Evangelista adhuc in terris existens arderet videre Deiparam gloriosam, illa ipsi apparens bene longum cum eo de cruciatibus Christi sermonem tenuit, et inter alia dixit, Filium suum ei, qui jugiter Passionem ejus recoleret, tres prærogativas concessurum. 1. Ut ante mortem ferventis contritionis actum exercere possit. 2. Ut Deipara in agone ipsum specialiter defendat. 3. Ut per ipsam quidvis impetrari possit. *ENGELGR.*, in *Dom. Quinq.*, § 3.

S. Gertrudis divinitus dicebat, quoties quis Christi Crucifixi imaginem animo pie commoto aspexerit, toties divinæ pietatis oculum ei adverti. *BLOSUS*, c. II, *Monil.*

S. Edmundo adhuc puerulo Christus apparens suavit, ut quotidie aliquod mysterium vitæ aut Passionis suæ meditaretur; id enim ei contra quasvis tentationes, ad comparandas etiam conservandasque virtutes, et tandem ad mortem feliciter obeundam, singulare presidium fore. *VINCENT.*, in *Spec. hist.*, *SURTUS*, in *Vit.*

Passionis Christi merito, Frater quidam sine purgatorio ad celos transivit, quia, quoties prope Crucifixum transierat rogavit Christum, ut propter amaritudinem in cruce toleratam, in egressu animæ suæ miseretur. *Spec. Ex. disc.*, VI, ex. 101.

Cuidam juveni Religioso apostatatae volenti apparens Christus, latusque discooperiens, et sanguinem effluentem ostendens,

jussit reverti ad Monasterium, et omnia rigorosa Ordinis sui intingere in latus istud, et mox in dulcedinem vertenda dixit. Quod ille audiens rediit, sanctæque vixit. *Id.*, *dist.* IX, ex. 159.

Cum quidam Religiosus initio suæ conversionis aliquando gravissima desperationis oppressus, in cellula sua tristis sederet, audivit vocem dicentem: Surge, et meam passionem devote pertracta, et in amaritudine mea tuum dolorem vinces. Surrexit, et liberatus est. *LUDOLPH.*, de *SAXON.*, p. II, c. LVIII.

S. Elzearius Comes consideratione Passionis Dominicæ ad tantam in omnibus adversis patientiam pervenit, ut licet gravissimus affectus injuriis fuisset, nunquam impatienter aliquid dixisse vel egisse sciretur. Unde, et eandem in agone sibi prælegi jubeat: et licet terribilem ab initio vultum tunc ostenderit, paulo post tamen dixit: Magna est dæmonum vis, sed eam penitus enervant virtus, et merita SS. Passionis. *SUR.*, 27 sept., c. XXXII.

Godefridus Bullonius, cum electus esset primus Rex Jerosolymæ, nunquam voluit usurpare titulum Regis, nec coronam sibi imponi permisit, indignum existimans, ut servus coronaretur auro in eo loco, ubi summi Regis caput spinis coronatum est. *MART.*, t. III, *lect.* XVIII, *Prop.* 1.

S. Hieronymus de se dixit: Cum gravissimis urgeret tentationibus, sedebam ad pedes Jesu, et noctes transegi, donec rediret animæ tranquillitas. Ibi quoque sapientes animæ sederunt, ut sapientiam haurirent. *Id.*, *Lect.*, II.

S. Bonaventura rogatus a S. Thoma Aquinate, ut bibliothecam ostenderet, ex qua tam sublimem scientiam hausisset, Crucifixi imaginem oculis, et lacrymis detritam ostendit. *Idem.*

JUCUNDITAS. — Thomas Cantipratanus de quodam milite, qui factus Monachus Cisterciensis, a memoria voluptatum, et deliciarum, quibus in sæculo gavisus fuerat, seductus, in vita religiosa continuanda vacillabat, referi sequentia: Cum gravissime a diabolo ad exitum tentaretur, et de nocte in noctem meditaretur, apostatate per fugam, semel parato ad exitum, et quasi commodiorem horam noctis in lectulo præstolanti, et semivigilanti, Christus apparuit in forma personatissimi viri, et cum ex illo quaereret,

quid sic jacens haberet mali, respondit ille: Dolorem cordis habeo, et magnum defectum debilitatis in membris; cui Dominus grossum panem hordeaceum offerens, dixit: Surge, et comede panem istum, quem ille turbatus intuitus, Quomodo, inquit, grossum panem istum comederem, qui panem monasterii similitudinem manducare non possum? Tum Dominus detecto latere, vulnere pectoris sanguinem profluenti hordeaceum panem admovit, et tali profluvio madefactum jubet comedere languentem, mox ille cum horrore membris dissiliens: « Heu, inquit, Domine, quomodo taliter pollutum comedere, qui prius saltem mundum, sed asperum comedere recusabam? » Et Dominus, quasi minaci vultu eum intuens, refutanti inquit: Oportet ut gustu saltem attentes, quid sapiat panis iste. Cumque ille diffugium non haberet, et susceptum panem tremebundus summis vix labiis attingisset, sensit in pane super omnem suavitatem dulcorem mirabilem, quem hianti quidem ore contractans, totum subito cum mira aviditate comedit. Nec mora, Domino disparente, tentatus ille ad se reversus est, et qui vidisset, sensissetque, sincero corde retractans, ab omni dolore mentis, et carnis tentatione convaluit, et in magna tranquillitate spiritus usque in finem permansit. Quid mirum! hordeaceus panis austeri Ordinis mellea Christi lateris perfusione linitus est. THOMAS CANT., l. II, *Aptum.*, c. LVII, § 26.

S. Lugardis quoties corpore aut spiritu afflictam se videbat, toties ad Crucifixi imaginem sese conferens, illum aliquando cum magna animi intentione contemplabatur, donec toto corpore viribus destituta, spiritu extra illud raperetur, in quo quidem raptu Christum præsentem cernebat, et ore proprio ad cruentum latus ejus applicito, tantum inde dulcedinis, tantum consolationis hauriebat, ut nulla postmodum adversitate concuti posset. SURIUS, 16 jun.

IMITATIO. — S. Franciscus petens a Deo, quo exercitio maxime Deo placere posset, ter Missale aperuit, semperque Passionem reperit. CHR. MIN., l. I, cap. cv.

Florentiæ cum virgo quædam ad puteum se præcipitatura pergeret, ne Sodalis suæ asperitatem diutius ferre cogeretur, Christus ei apprensus dixit: Redi ad te mulier parvi animi, et cogitans, quos ego, quan-

tosque cruciatus amore tui pertulerim, sororis tuæ voculas insuper habere discis. ANNUÆ, Soc. 1589, f. 21.

S. Catharina Senensis cum Christus ei cum corona aurea in dextra, et spinea in sinistra apparuisset optionemque alterutrius reliquisset, illa magno fervore spineam elegit, capitique suo tam firmiter impressit, ut longo tempore gravem inde dolorem senserit. SURIUS, 30 apr.

S. Eulalia cum toto corpore ferreis pectinibus dilacerata fuisset, exultans ad Christum dixit: Nunc, o mi Sponse, et Redemptor, quam bene resplendet in me per vulnera ista viva tui imago: et characteres isti in corpore meo per sanguinem membra exarati, quam ad vivum mihi exprimunt, et representant ipsam passionem tuam. SURIUS, 10 dec.

S. Agapitus per quindecim annorum virginitatis, nervis, igne, fumo, aqua bulliente, et aliis tormentis exoruciatus, cum in capite ejus carbones congererentur, gratias agens Deo dixit: Parva res est, si caput coronandum in celo, prunis coronetur in terris. O quam decorabit corona gloriæ plagas, et vulnera excepta pro Christo. SURIUS, 18 aug.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tanto recolendæ Passionis ardore succensus fuit, ut ordinariè in Missa, quam in conversionis suæ primordio audiebat, Passionem legeret. Eundem in finem palmarem Crucifixi effigiem circumgestare in pectore solebat. Cumque postea ab amicis nulla ratione persuaderi potuisset, ut paternam domum inviseret, per Passionem Domini tandem rogatus consensus. Sed et in Gallia Cisalpina ab Hispanis pro exploratore habitus cum insignibus contumeliis exciperetur, Christum ab Herode illis sibi proponens, summa cum patientia tulit injuriam. LYREUS, l. I, *Apoph.* 17.

S. Franciscus Xaverius ad omnem sanctitatem incitabatur præcipue crebra vitæ mortisque Domini nostri meditatione, ex qua exardescerebat in illo humanæ salutis, et Martyrii cupido, totumque se ad illius imitationem pro illius gloria, et salute hominum devovendi. Tanto vero affectu Japonensibus adhuc Ethnicis Christi Passionem

explicabat, ut lacrymas illis excuteret. *Vita*, l. I, c. m. l. IV, c. v.

P. Petrus Faber in inchoandis horis Canonice, in acerbissimis Christi cruciatibus fagebat aspectum, et ut in psallendo progrediebatur, ita in reputandis acrioribus ejus penis atque doloribus procedebat. Vallisoleti cuidam viro primario modum orandi, et meditandi petenti, hæc quatuor puncta præscripsit. 1. Christus Dominus noster fuit omnium rerum egenus, et ego omnium dives. 2. Christus esuriit, et ego laute vivo. 3. Christus Servator meus in cruce nudus pendet, et ego splendide vestibus incedo. 4. Jesus doloribus, et laboribus oppressus fatidit, et ego delicatus pati nihil valeo. Quæ quidem capita vir ille ab initio non magni fecit, sed postea inter convivium versanti adeo inhæserunt, ut, quo lacrymis et affectibus liberius indulgeret, e mensa surgere, et in conclave secedere fuerit coactus. ORLAUD. l. III, n. 37, et LYREUS, l. c.

P. Simon Rodericus, ne Crucis oblivisceretur, ejusdem imaginem palmarem pectoris insculpsit. Quem ipsum in finem etiam prægrandem e ligno crucem in cubiculo habebat, ad quam, lucente ante eam lampade noctu evigilans animum oculosque elevabat. HIST. SOC., p. IV, l. VII, n. 246.

P. Claudius Inius quotidie unum e sacris Christi cruciatibus retractabat. H. S., p. I, l. XII, n. 36.

P. Franciscus Villanova in suis meditationibus non aliam sumebat materiam, quam vitam, et Passionem Christi, dictitans, sublimiores materias se in celum servare. Ib. p. II.

P. Thomas Sanchez feria sexta ad honorem S. Passionis flagello se cæcidit, ciliicum tulit, et toto pene die illam cogitavit. ANNUÆ 1610.

P. Baltasar Alvarez rogatus, quem modum in orando teneret, cum adhuc junior esset, respondit, sibi statim in ipso ingressu offerri sanctissimos Christi crucifixi pedes, quos ipse primum adorabat, et ad eos constitutum, se meditari altissimam omnium virtutum lectionem, quam ex Cathedra supremus ille Magister docuit; ex quo valde accendebatur ad se mortificandum, crucie affigendum, ad juvandos quoque proximos, pro quorum amore tantus Magister tot labores sustinuit. Hortabatur vero omnes incipientes ad meditantem Christi passionem tamquam spiritualis eorum profectus fon-

tem, et in ordinariis suis exortationibus frequenter hoc repetebat: Ne existimemus, nos aliquid fecisse, donec eo perveniamus, ut semper Christum crucifixum in corde habeamus. Semper Christi crucifixi imaginem in cubiculo habebat, in quem frequenter aspiciebat. Præcipuo tamen studio in Christo crucifixo tres ejus comites, scilicet pauperitatem, et contemptum, et dolores considerabat, et in se transferre studebat. *Vita*, c. III, § 2.

P. Gaspar Paranympus ad memoriam Passionis inter populares suos in Sicilia excitandum effecit, ut Feria sexta sub meridie ære campano signum daretur; sed et passim adicula parva excitarentur. LYREUS. l. I, *Aphoph.* 17.

P. Didacus Martinus, ut memoriam Passionis Christi, quam interdiu semper fovebat, etiam de nocte conservaret, caput asperissimo cilicio obolvebat. *Ibid.*

P. Joseph Anchieta fidei amico suo naravit, se cum in secessu annuo de cruciatibus Christi meditaretur, magnam eorum partem cum acerbissimo dolore sensisse. *Ibid.*

P. Ferdinandus Suarez totum cubiculum suum crucibus instruxit, quas perpetuo amplecteretur. *Ibid.*

P. Joannem Gondinum quacumque noctis hora convenisses, coram crucifixi Servatoris imagine deprecantem invenisses. *Ibid.*

Joannes Berchmannus dicere solebat, in rebus adversis non esse tutius asylum, quam sinum, plagasque Christi, et passium *Vita*, p. II, f. 138.

EXEMPLA PROFANA.

Pilato sedente ad tribunal, misit ad eum uxor dicens: Nihil tibi, et justo illi: multa enim sum passa hodie per visum propter eum. Cujus rei S. Ignatius Episcopus causam assignat his verbis: Cum paranda esset crux, diabolus tumultuabatur, et penitentiam immisit proditori, et laqueum illi monstravit, et suspendium, quo strangularetur, edocuit; et mulierem turbans eandem in somniis, ut a crucifigendo cessaret, inducere moliebatur, qui prius omnem lapidem moverat, ut eadem

Crux pararetur, non quod penitentie duceretur, ob tantum malum (hac enim parte fuisset minus sceleratus) sed quia propriam suam perniciem sentiebat. S. IEN., *Ep. ad Polyc.*

Pilatus, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, et ipse Viennæ perpetuum in exilium relegatus est, tantisque (irrogante Caio) languoribus coarctatus, ut sua se manum transverberans, multorum malorum compendium mortis celeritate quasiert. DAUROLT., c. 1, tit. XXXI, § 3.

Ad Proceres Francos in bello captivos olim Saraceno accessit, quasiivitque, num in Christum pro ipsis crucifixum, et resurgentem crederent; quibus ita se credere affirmantibus, addidit, eos nec fracto, nec meslo animo esse debere, si tantulam calamitatem subirent ejus nomine, qui extrema supplicia pro ipsis exantlassent, nondum enim ad mortem usque ipsos decerasset. Quod si tanta sit potestatis, ut propria virtute a mortuis resurgere poterit, dubitandum non esse, quin ipsos etiam brevi ex suis calamitatibus eximeret; id quod eventus probavit. IBD., tit. XLV, § 5.

Cum quidam peregrinus cum Saraceno in die Parasceves, per silvam iter faceret, omnes aves quasi mortuas in arboribus suspensas herere vidisset, postea vero in festo Paschalis rediens iterum redivivas, et suaviter canentes audivisset, quaerens causam ex Saraceno, intellexit, singulis annis eo tempore id accidere, atque adeo illas patienti Christo condolere collegit. SPEC. EX., *dist. ix*, ex. 161.

Dum Christus emisit Spiritum, velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. MATT. XXVII.

Regulus quidam Gentilis, Obo nomine, cum audisset Dei Filium tam indigna morte mulctatum fuisse, ita accensus dixit: Equis tam immane facinus perpetrare ausus est? quæ gens? quæ natio? quibus in terris habitat? quo nomine vocatur? Cumque aliqui placare eum conarentur, dicentes, Deum ultro se morti obtulisse, subiicit ille: an vero Deum, vera prædicantem, occidere debuerunt? FAB., *conc. III*, in *Parasceve*.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut viator non bibit de flumine aut torrente, nisi magno aestu calens; sic Christus non bibisset de torrente passionis, nisi ipsum accensa erga nos charitas impulisset. FAB., l. c., *conc. II*, R. 1.

Sicut patrefamilias moriente, tota ejus domus turbatur, omnis familia plangit, et nigris se vestibus operiunt; sic humano genere, propter quod omnia fuerant creata, circa exitum constituto, et moriente capite illius Christo, totus contristatur mundus, universa cœli ministeria lugent, et candore deposito, tenebrosis nubibus velut vestibus vestiuntur. S. CHRYS., *hom. XI*, in *Matt.*

Sicut vespa, cum impetit petram, non eam lædit incursum, sed proprium perdit aculeum; ita mors incurrendo Christum, non hunc, sed se ipsam lædit; unde insultans illi dicit: Ubi est, mors, victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? I COR., *xvi*, 55.

Sicut leo non solum vigilans, sed etiam dormiens terribilis est; sic Christus non ante crucem tantum, sed etiam in cruce terribilis erat, magna que designabat miracula. PROCP., in *Gen.*, c. XLIX.

Sicut hamum esca conceptum si piscis rapiat, non solum escam cum hamo non removet, sed et ipse de profundo, esca aliis futurus educitur; ita is, qui habuit mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Jesu, non sentiens in eo hamum divinitatis inclusum, sed ubi devoravit, hæsit continuo, et disruptis inferni claustris, velut de profundo tractus traditur, ut esca cæteris fiat. S. CYPR., *de singul. Cleric.*

UTILITAS. — Sicut medicus non habens necessitatem cibi, qui ægroto paratus est, prægustat, ut et ægroto sumpcionem persuadeat; sic et Dominus, quoniam omnes homines mortem timebant, persuasit illis, ut fiducialiter ad mortem accederent, ideoque ipse illam gustavit, licet nullam ejus necessitatem haberet. S. CHRYS., *hom. IV*, in c. I. *Hebr.*

Sicut per unius hominis delictum, transit in omnes homines condemnatio; ita per unius justitiam in omnes justificatio derivata est; sicut enim per unius inobedien-

tiam peccatores constituti sunt multi, ita etiam per obedientiam unius just constituantur multi. THEODOR., *Dial. II*.

Sicut olim, qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentium; sic qui fide intuentur Christi mortem, sanantur morsibus peccatorum. S. AUG., in *Joan.*

Sicut impossibile est, ut aliquis farinam tractet, et inde pulverem non contrahat; sic fieri non potest, ut aliquis cum devotione etiam parva, Dominicæ intendat Passionem, et nullum inde fructum percipiat. S. GERTR., l. III, in *fn.*, c. XII.

Sicut aqua amara facta sunt dulces, postquam Moyses lignum a Domino ostensum in eas misit; sic lignum Crucis in aquas tribulationum missum, easdem suaves, et gratas facit. EXOD., *xv*.

Sicut panis durus, si aqua maceretur, facile, et cum voluptate sumitur; ita dolores nostri, et labores, licet duri sint, leves, et suaves efficiuntur, si per meditationem sanguini, et passioni Christi immergantur. S. CATH. SEN.

Sicut purpura suam pretium non a lana sed a tinctura habet; sic opera nostra suum valorem non ex seipsis, et sua bonitate, sed a tinctura sanguinis Christi accipiunt. S. FRANC. SALES., l. XI, *de Amor.*

Sicut virga Aaronis prius tota arida, ubi Summi Sacerdotis nomen ei inscriptum fuit, florere, et germinare cœpit; ita et anima nostra ex se sterilis, quam primum Summi Sacerdotis Christi nomen ac Passio inscripta fuerit, uberes fructus producit. S. FRANC. SALES., l. XI, *de Amor.*

Sicut si quis redemptionis suæ pretium in sua haberet potestate positum, illud autem in serinio suo teneret reclusum, eique a quo captivus tenetur, non extraheret, aut numeraret, ad nihilum utique eidem redimendo profuturum esset; Christus gratis nobis sanguinem suum dedit, ut inde a servilitate peccati, et inferni redimamur; at vero pretium hoc inutile nobis erit, nisi illud per redemptionem nostram adhibeamus; ac proinde sanctus Apostolus subdit, inquit: «Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.» MANSI., *d. XII*, n. 3.

Sicut regie statuae quamvis inanimatae sint, eos tamen, qui ad se confugiunt, servare solent, non quia statuae sunt, sed quia regem representant; similiter, et Agni sanguis, homines salvos faciebat, non quia

sanguis erat, sed quia Sanguinem Christi referebat. S. CHRYS., in *Evod.*

Sicut ille, qui opobalsamum vel leviter contingit, necessario suavem odorem retinet, ita is, qui Passionem Dominicam pie recolit licet permodico affectu id faciat, non poterit non reserre augmentum gratiæ divini, sed nec effugiem quidem crucifixi Redemptoris homo Christianus orthodoxæ fidei unquam reverenter aspexit, aut aspiciet, sine grandi utilitate. BLOSTUS, in *Instruct. Vit. ascet.*, f. 1690.

MEDITATIO. — Sicut matri diviti plus placeret, si filius peregre profectus assiduo de ipsa cogitaret, et materna beneficia, et amore erga se consideraret, quam si nescio quas divitias ei submitteret; ita Christo præ aliis operibus placet, si sanctissimum ejus Passionem, et beneficia per hanc collata animo saepe volvamus, et apud alios commemoremus. ROMANUS., p. II, tr. VII, c. II.

Sicut insanus haberetur, qui accepto a Rege litterarum fasciculo, in quo certo scriret inclusum deferri regium chirographum de ingenti aliquo reddito, differret illum resignare, et legere usque ad mortem; ita seipsum mirabiliter fallunt, qui circa mortis articulum de Domini pro ipsis passi morte devote se cogituros existimant. STAPLETT., t. I, in *Dom. Quing.*

APPLICATIO. — Sicut, si amicus aliquis, te pro meritis ad supplicium quasito, vestes tuas indueret, et te ipsum pro te capi, damnari, et in crucem agi sineret, tu vero vicem ejus non dolores, sed contra post illum vociferareris, quin carnifices in ipsum concitares et te ipsum pro tali offerres, mille mortes promeritus censereris; ita, cum hoc ipsum faciat peccator gravis, merito etiam gravi poena dignus videbitur.

Sicut sigillum non exprimit in certa sui similitudinem, nisi cera cum impetu impressum; sic non potest in nobis efformari Christus, ejusque meritum, nisi adhibito aliquo voluntatis, et operum conatu. Et ideo sponsus se velut sigillum super cor, et brachium poni jubet. FAB., *conc. VI*, in *Dom. Pass.*

Sicut paterfamilias jubet in domo sua ad omnes januas appendi vasculum aquæ benedictæ, ut egredientes moneamur, ea se munire; ita Ecclesia ubique cruces, aliaque instrumenta Passionis proponit, ut ea venerando nobis applicemus. IBD.

Sicut fons aquarum hauriri, et bibi debet

ut effectus suos exeret; ita Christi merita nihil nobis proderunt, nisi per fidem vivam et Sacramentorum religiosam usurpationem applicetur. *Ibid.*

MOTIVA.

« Utilitas ad peccata vitanda, » nam, ut recte S. Augustinus dixit, non possum terri multitudinem peccatorum meorum, si mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi, et lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et tibi requiesco securus. S. AUG., *Man. c. xiii.* Quod ipsum etiam Christus S. Gertrudi revelavit, dicens: Quilibet poterit respirare in spem veniæ (quamlibet etiam gravi pondere peccatorum se senserit depressum) offerendo Deo Patri meam innocentissimam passionem, et mortem. Credit peccator, se per hoc obtinere saluberrimum fructum indulgentiæ, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, sicut devota memoria meæ passionis. *Bios., in Conclav., c. 1, n. 4.*

« Utilitas ad carnem subjugandam, » uti Origenes indicavit, dicens: Certum est, quia ubi mors Christi animo circumfertur non potest regnare peccatum; est enim tanta vis crucis Christi, ut si illa ante oculos ponatur nulla concupiscentia, nulla libido superare possit, sed continuo ad ejus præsentiam totus ille peccati, et carnis fugatur exercitus. Quod confirmans Mansi, sic ait: Nulli ignotum est, quod in hæmorrhœissa contigit miraculum, quæ post perperam duodecim annis continuis acerbum sanguinis fluxum qui multis medicinarum, et medicorum dispendiis haudquam curari potuit; tandem ad vestem Redemptoris accessit, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Hujus autem infirmitatis mysterium Sanctus Thomas Aquinas exponit, dicens: Patitur fluxum sanguinis, propter fluxum carnalium delectationum. Ad hunc vero fluxum sistendum, et exsiccandum, unicum, et potens est remedium, si quis per feriam meditationem mortem, et passionem Christi tangat, et ruminet siquidem ut Sanctus Antonius de Padua exponit: Vestimentum Christi ipsius est caro, de qua Isaias cap. *LXIII.* « Quare ru-

brum est indumentum tuum? » Jesus torcular, id est, pressuram Crucis solus sustinuit, in quo vestimentum sanguine rubricavit. Hujus vestimenti fimbria est ipsa passio, quæ animam liberat a sanguinis profluvio; contra enim carnis vitia summe valet memoria Passionis Christi. *MANSI, l. X, n. 8.*

« Utilitas ad dæmonem vincendum; » id quod Deus ipse judicasse videtur, dum olim Moysi serpentem quemdam auro in palo quodam erigere, et suspendere præcepit, ut quisquis ab ignitorum deserti serpentum morsibus sauciatus fuisset, serpentem illum firmiter respiciens a veneno contracto liberaretur. Sed omnia in figura confingebant illis. Ille namque serpens Christum in Cruce hoc fine suspansum, ut infernalis serpentis venenum aboleret, præfigurabat. Christus enim serpens erat, quia omnia peccata nostra, quorum dæmon auctor fuerat, in se assumpserat. At vero quid tandem evenit? Christus resurrexit; at vero serpens infernalis diabolus, ibidem confusus remansit, atque insuper increata Sapientia effecit, ut, quisquis deinceps mentis suæ oculos in mysticum hunc serpentem, Christum scilicet crucifixum, elevaret, ab omni tentationis, et suggestionis præva veneno liber evaderet. Unde Sanctus Bernardus in epistola quadam ad quemdam Novitiorum suorum exarata, scribit: Si tentationum sentis aculeos, exaltatum serpentem æneum intueri, et fuge non tam ad ubera, quam vulnera Crucifixi. S. BERN., *cccli.* Apud Blossium quoque legitur, quod diabolus aliquando volens decipere et ad nimiam pusillanimitatem, sive ad desperationem adducere Sanctam Virginem Catharinam, nitebatur ei persuadere, quod vita ipsius falsa, inutilis, at perversa esset. Illa igitur a Dei bonitate (quæ vere poenitentium nunquam se negat) edocta, humiliter elevavit mentem suam ad misericordiam divinam, dicens: Ego aperte confiteor Creatori meo, me quotidie in tenebris fuisse, maleque vixisse, verumtamen fiducialiter latitabo in plagis Domini mei Jesu Christi, et omnium iniquitatum mearum maculas pretioso sanguine ejus abluiam. Post hæc verba diabolus in fugam versus est. *BLOSSIUS, in Conclav., c. 1, n. 19.* Sed et S. Elizeario Ariani Comite, in hæc verba scribit: Sumpta Eucharistia, et sancto peruncione oleo, cum diceretur postea: « Per sanctam crucem, et passionem tuam, libera

eum Domine, » ipse eundem versum tertio repetivit, addens: Hæc est spes mea, in hac volo mori. Ad extremum jam in agone positus, vultum præ se tulit valde terribilem, unde colligi potuit, in magno eum tunc versari labore, ob aliqua sibi objecta, exclamavit autem, dicens: Magna est dæmonum vis, sed eam penitus enervarunt virtus, et merita sacrosanctæ Passionis Christi. Post paululum exclamavit, dicens: Plane vici. De Sancta Birgitta in tenera etiamnum ætate constituta, refert idem Surius, quod viderit diabolum, tamquam centimanum, aut centipedem, horrenda specie deformem; perterritaque curruerit ad lectulum suum, humiliter se Christo commendans, ubi rursus ille teter spiritus ei apparens dixit: Nihil possum, nisi permittat Crucifixus. *Suaus, in Vit.* Unde merito dixit S. Augustinus: Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recuro ad vulnera Christi; cum me reprimit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et recedit a me. *Quin et S. Edmundo diabolus fassus est, passione Christi ad istius insidias, et vires infringendas nihil dari efficacius. S. AUG., c. xxxii, Man.*

« Utilitas ad adversitates fortiter tolerandas; » nam si Passio Christi ad memoriam revocatur, ait S. Gregorius, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. S. GREG., *in Epist. et ap. Mansi, d. vi, n. 4.* Unde Beatus Laurentius Justinianus salubriter monet, dicens: Erigamus omnes nos, qui Domino Jesu elegimus militare, mentis oculos in Crucem Domini, cum tentamur, et leve existimabimus, quod toleramus, in comparatione illius. S. LAUR. JUST., *c. xi, de Monast. dis.* Sic martyres confortabantur inquit S. Augustinus (qui, et idipsum sua experientia testatus est) ad omnia, quæ persecutores libuisset facere, perferenda. Sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia. Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate, vincebat. Sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria. S. AUG., *tr. cxvi, Joan.*

« Utilitas ad virtutes addiscendas, et vitia extirpanda; » uti auctor a Mansi citatus indicavit, dicens: Horrebant homines, quicquid asperum, quicquid humile, et abjectum

erat; colebant, suscipiebant, et laudabant solum gloriam, divitias, voluptates: et ecce dum Dei Filius Crucem ascendit, dum contemptum, paupertatem, et dolores amplexus est, vanissima illa Gentium dogmata omnia conruerunt. Effecit Christus, ut mundus coleret humilitatem, et contemptum vitæ, paupertatem, obedientiam, patientiam, castitatem. *MANSI, d. v, n. 2.* Et Sanctus Laurentius Justinianus ait: Munitissima sunt hic prasidia, et inimicis inaccessibilia, ubi reparantur vires, recalciscit animus, reviviscit spiritus, renovatur mens, redintegratur quod dissipatum fuerat, quod amissum, quod debilitatum, quod fuerat peritum. S. LAUR. JUST., *de Cast. con., c. vii.* De virtutibus adhuc clarius id indicans S. Bonaventura: Si vis, inquit, o homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quanta potes, devotione mediteris Domini Passionem, quia hæc mentem alienat, et non solum reddat Angelicum, sed Divinum. S. BON., *apud Lyr., l. I, Apoph. 17.*

« Utilitas ad mortem feliciter obeundam, » uti factio ipso S. Bernardus declaravit, dum in extremo mortis articulo inimico infernali, eum graviter tentanti, ejusque vitam nihil aliud, quam meram hypocricism fuisse affirmanti, respondit; Probe idipsum cognosco; scio enim, quod nihil unquam boni præsterim; verumtamen in Redemptoris mei sanguinem securus confido, in eoque omnem spem proximam collocatam habeo. Unde idem mellifluus Doctor in sermone quodam hocce pariter exprimit affectus: Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. S. BERN., *ser. lxi, in Cant.* S. Catharina Senensis, quæ Passioni Domine meditante devotissima fuit, omnes a se exaratas epistolas, a Sanguinis Jesu Christi commemoratione exordiebatur; cumque morti proxima esset, vocem suam, quanta potuit eum animi contentione, extulit, dicendo: Sanguis, Sanguis Jesu. *Vita S. Cathar., l. III, c. III.* De eximio quodam Dei servo legisse me meminì, quod dum morti vicinus esset, visum ei fuerit, se coram tremendo Judicis tribunali assistere, in cujus conspectu libra adducta fuit, in ejus una lance ejus ponebantur opera; cumque eorum conspiceret modicatem; siquidem demerita, et ad ipso commissa peccata ex altera parte longe magis præponderabant,